

D 14, 23  
Vd  
3322

RECTOR  
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS  
**ANDREAS  
FLORENS  
RIVINVS D**  
POTENTISSIMI REGIS POLONIARVM  
ET PRINC<sup>E</sup> ELECT<sup>E</sup> SAX<sup>E</sup> CONSIL<sup>E</sup> AVLICVS DIG  
INFORT<sup>E</sup> ET NOVI PROFESS<sup>E</sup> PVBL<sup>E</sup> ORD  
CVR<sup>E</sup> PROV<sup>E</sup> ET SCAB<sup>E</sup> ITEMQVE ORD  
IVRID<sup>E</sup> VITEMB<sup>E</sup> ASSESSOR  
CIVIBVS ACADEMICIS  
S P D



ЯГОДА  
АГДИМЕ АЛТЕМІЛІМЕ  
САДРЯДА  
АДАМІН  
ЕЛОХ  
ДУНІЯ

БАДІОДА БАДІМІЛІ ТОД  
БАДА БАДА БАДА БАДА БАДА

САДА САДА САДА САДА САДА



**L**aetitia, uoluptasque, quibus populus afficitur, seculi *maximam testantur beatitudinem*; quam, qui proxime, et secundum immortalis Numinis prouidentiam curamque, iis, quos, in altissimo loco positos, mundi Dominos, ueneramus, referunt acceptam, hi demum intelligunt, bono Principe nihil excogitari posse praestabilius. Cum enim illis, qui nationes, quae in eorum regno et ditione sunt, humanitate, facilitate, moderatione, sapientia et iustitia, gubernant, sua ipsis salus inuisa sit, nisi sit eadem cum rei publicae salute, tranquillitate, et utilitate, coniuncta, nostra cognitione facile comprehendimus, omnem populorum ciuiumque felicitatem ex solo Optimi Principis nutu consilioque pendere.

A

Quae

Quae rerum publicarum administratio, cum talis sit, qualem ipse mundi Parens, in terras oculos demittens, suo assensu comprobet, bene sapienterque maiores censuerunt, diuinis Principum uirtutes, non acclamationibus tantum celebrandas, et extollendas laudibus, uerum consecrandas esse marmoreis aeneisque monumentis, ut sint ferae posteritati exempla sempiternae imitationis. Sunt in saxis propter ea frequentes Caesarum appellationes, PISSIMI, BEATISSIMI, FELICISSIMI, quibus Romanus quondam Populus significare uoluit, tenentibus clauum tanti imperii Patriae Patribus, florentissimum beatissimumque Quiritium fuisse statum, ac restitutam temporum felicitatem. Atque eamdem ob caussam ipsa Caesarum regia, FELIX et BEATA, antiquis in monumentis, appellatur; mundique Dominam, ROMAM, BEATAM memorant numi Constantii Augusti, quod, eius in primis uirtute, a tyrannis ciuitas liberata esset, pristinumque recepisset splendorem.

Et profecto per facile nobis persuadebimus, iure, Romanorum Augustos, qui, ut in seculo eorum nihil esset, quo non omnes homines gauderent, uehementerque laetarentur, curam sollicitudinemque adhibuerunt, temporum suorum felicitatem, gloriosius praedicare potuisse. Quis enim eos, qui, quae tempori, quo ad gubernacula publicae rei residebant, dedecus infamiamque adferre posse uidebantur, solemnibus formulis detestati sunt, atque a seculo suo abhorrentia, iniusta, et a felicibus temporibus alienissima esse, publice edixerunt,

runt, miretur fuisse sollicitos, uti posteris haec ipsa felicitas innotesceret? Intuemur certe, magna cum animi uoluptate, Augustorum numismata, quae FELICITATEM AVGVSTI, FELICITATEM TEMPORVM, SECVL, REI PVBLICAE, PVBLICAM, FELICIA TEMPORA, et FELICEM TEMPORVM REPARATIONEM, in memoriam nobis reuocant; multumque, ueterum in Principes studium, probamus, qui, si quid ab iis gestum esset commemorabili utilitate praeditum, id omne, dignum diuina Augustorum temporum felicitate fuisse, pronunciarunt.

PIETATI ET FELICITATI IMP. CAES. DIVI NERVAE TRAIANI AVGVSTI, qui labanti et inclinatae rei Romanae praesidium attulit, Romani ciues monumentum posuere; a cuncto uero Senatu ipsi acclamatum est: O TE FELICEM. Quod, cum cogitatione nostra complectimur, mentem subit Imago FRIDERICI AVGVSTI, SERENISSIMI POTENTISSIMI QVE POLONIARVM REGIS, DVCIS ET ELECTORIS SAXONIAE, PATRIS PATRIAE, DOMINI NOSTRI CLEMENTISSIMI. Cui enim potius, quam REGI OPTIMO MAXIMO, summa, quae in res humanas potest cadere, gratulemur felicitatem? Id uero, cum dicimus, non opes, non imperii magnitudinem, sed magnum excelsumque EIVS animum, miramur, cuius diuinitate factum est, ut felicitate longissime omnes superaret. Etenim huius coelestis animi ea uis atque natura est, ut suo motu, et incredibili quadam celeritate, sentiat praeuideatque, quid maximam populis afferat utilitatem, quid uere fa-

lutare ipsis sit, et quid tandem incolumes, florentes,  
beatosque ciues, efficiat, tueaturque.

Cumque iustitia, integritas, ac ipsa religio, nulla  
re magis in mores hominum inducantur, quam, si ab  
Optimo Principe, cuius tam multi sunt imitatores, uir-  
tutis possint exempla peti, PRINCIPEM NO-  
STRVM diuinitus nobis datum esse, patet, utpote  
qui tam arduum est uirtutum omnium exemplum,  
quod uel Principes ipsis imitandum sibi intelligent. DO-  
MINI enim NOSTRI Pietatem, Abstinentiam, Man-  
fuetudinem, Humanitatem, Facilitatem, uniuersi cele-  
brare solemus, et cum FELICEM AVGUSTVM  
dicimus, nos felicissimos praedicamus, qui sub EIVS  
imperio, beatitate fruimur. O BEATISSIMUM RE-  
GEM, de cuius culmine populis datur laetitia, poste-  
ris gloria. Amat Numen AVGUSTVM, et sic amat,  
quem ad modum AVGUSTVS populum; populus ue-  
ro REGEM certatim amat, et omnibus horis, oculis,  
auribus, animo tenet. Capit autem MAXIMVS PRIN-  
CEPS NOSTER, diuini huius amoris, quo suos profe-  
quitur, gloriosissimum fructum, quod Europae toti-  
us incolae, Regiae mansuetudinis delinimentis illecti,  
non tantum comiter EIVS uenerantur Maiestatem, sed  
omnes optant TANTI PRINCIPIS subesse imperio.

Et habent sane huius uoti multas grauissimasque  
rationes. Ea enim est Poloniarum, Saxonieque, sub  
auspiciis AVGUSTI, AVGUSTISSIMI REGIS, felicitas,  
quae

quae maior, ne dici quidem, aut fingi possit. Florent Poloniae concordia, tranquillaque pace, cuius dulcissimo pulcherrimoque nomine allectae Musae, has terras, tanquam sedes patrias, uidentur incolere. Ipsa uero Natio incluta, gloriaque excellens, cui libertas propria, et quasi innata, est, REGEM exosculatur, strenuum libertatis assertorem, ac uindicem. Merito igitur SENATVS, POPVLVSQVE, AVGVSTVM ore celebrat, deuotione ueneratur, amoreque amplectitur. Vigent non modo leges, sed imperant, defendunt bonos, tuerinturque, conseruant, continentque utilitatem. Quae, cum ad naturam, rerum omnium principem, expressae sint, eamque ob caussam, uim habeant continuam aeternamque, CONDITIONI SVO OPTIMO MAXIMO non possunt non aeternitatem, immortalitatemque, donare. Propter has autem, non FELICEM tantum iudicamus AVGVSTVM, sed gratias quoque EI agimus, posterorum nomine, quibus res publica tradetur emendatior. Audit in numis Antoninus Pius, Caesar Augustus, AMPLIATOR CIVIVM, quo elogio, quis non animaduertit, AVGVSTVM, POTENTISSIMVM REGEM, potius ornandum esse, qui de felicitate suorum, unice sollicitus, uniuersos paene maximis beneficiis cumulauit. Aptius certe ad tempus, in numis EIVS, Phoenicis, aeternae illius auis, imago insculpetur, ut, hoc noui et fortunati seculi symbolo, SECVLVM AVREVVM AVGVSTEVM, per manus quasi, posteritati tradi posset.

Si maximum est Principis opus, parare Amicos,

B

inter

inter Maximos, felicitate, AVGVSTVS REX referendus est, qui Austria, Franco - Galliam, Hispanias, utramque Siciliam, non amicitia, aut quadam necessitate, sed sanguinis secum coniunxit uinculo; iamque felici sidere, accensis taedis nuptialibus, Saxoniam Bauariamque, sororio quodam nexu, eoque duplici, colligat, et aeterno, indissolubilique foedere, deuinct. Recordamur adhuc, magna cum uoluptate, illius diei, quo MARIA IOSEPHA, CELSISSIMA REGIA PRINCEPS, DELPHINO FRANCIAE CELSISSIMO, LVDOVICO, faustissimum collocata est in matrimonium. Quotiescumque uero hanc cogitamus Saxoniae felicitatem, toties quoque, REGIA SOBOLES, per totum orbem exsplendescens, in mentem nostram uenit. Quid enim est, ex quo magis elucidere possit amoris magnitudo, quo POTENTISSIMVM REGEM NOSTRVM, et REGINAM SERENISSIMAM, sumnum immortaleque Numen complexum est, quam quod, et pulcherrima, et numerosa, prole, Parentes fecerit? Si, cum mente nostra, celeberrima Europae regna circumspicimus, cui tantum contigerit, Omnipotentis Dei gratia, beneficium, non inuenimus. Congruenter igitur REGIAM CLEMENTISSIMI REGIS, more maiorum, SACRAM appellamus; quod nomen urbi, non a singulari, templi, ac Dei, in eo, secundum priscam superstitionem, culti, religione ac celebritate, uerum, ob DEORVM DEARVMQVE, in ea, confessum, recte tribuimus. Etenim INDVLGENTISSIMVM PATRIAE PATREM, REGINAM AVGVSTAM,

STAM, REGIAM PROLEM, Deos, Deasque,  
ac Parentes, Seruatoresque, fortunarum nostrarum, re-  
cte statuimus.

Atque in eo omnes consentiunt, nihilque, iudicant,  
ad absolutissimam felicitatem deesse Principi, qui, ut,  
post se, rei publicae prospicit, et moderationis iustitiaeque  
monumentis in clarescere studet, et sui similes gignit  
educitque, quorum uirtute ciuium salus sanctissime  
conseruari possit. Qua demum ratione, cum uera et  
aeterna populis afferatur beatitas, nosque tam excellen-  
ti bono gaudere possumus, Deum, rerum omnium sum-  
mum Rectorem Dominumque, oramus supplices, RE-  
GIAM PROLEM seruare uelit in columem; estque hoc  
unum omnium uotum: SALVS NOSTRORVM PRINCI-  
PVM. FRIDERICO AVGVSTO uero, REGI CLE-  
MENTISSIMO, ob LIBEROS, quos ad bonum tantum  
publicum natos educatosque ueneramur, tantam referi-  
mus gratiam, quantam maximam animi possunt nostri  
capere.

Est innata REGI NOSTRO CLEMENTISSIMO Sapientia. Cum uero sapienti, quid opus sit, ipsi in men-  
tem ueniat; sitque PATRIAEC PATRI insita, sibi subie-  
ctos beandi, cupiditas: non potest non imperii co-  
gitare aeternitatem, hocque curare et attendere, quo  
populi felicitas augeri plurimum possit. Sunt autem  
duo in primis, quae aeternum conseruare ualent impe-  
rium, connubia scilicet atque foedera. Illis Principum  
propagantur stirpes, ac id efficitur, ut, filii nepotesque,  
uirtutum paternarum heredes, publicas res, felicitate

iam florentes, ita tueri possint, ut quaedam continua-  
tio seriesque felicitatis appareat, resque omnes tam a-  
pte inter se uideantur esse colligatae, quam, quae nul-  
lam unquam mutationem subierint. His maiestas po-  
puli seruatur conseruaturque, eique inter gentes con-  
ciliatur auctoritas.

Populus quidem, in DOMINVM NOSTRVM fidelif-  
simus, auctoritate ualet propter SVMMVM felicitatis suaे  
AVCTOREM; at eam tamen diuinus EIVS animus, foe-  
deribus, connubialibusque pactis, tanquam nouis di-  
gnitatis apud exterios accessionibus, mirifice amplificat.  
Gaudio igitur exultamus, quod PATRIAE PATER, nu-  
ptiis inter MARIAM ANNAM SOPHIAM, PRIN-  
CIPEM REGIAM, et MAXIMILIANVM IOSE-  
PHVM, SVPERIORIS ET INFERIORIS BAVARIAE  
DVCEM, ET ELECTOREM, conciliatis, Saxones Bauaris,  
iam cognatione SIBI coniunctis, foedere, summa  
cum religione sancto, arctius societ; atque FRIDE-  
RICO CHRISTIANO, PRINCIPI REGIO-ELECTO-  
RALI, SAXONIAEQVE DVCI SERENISSIMO, in matri-  
monium auspiciatissimum collocata, MARIA ANTO-  
NIA WALPVRGJI, AVGVSTA CAESARIS AVGV-  
STI CAROLI VII FILIA, BAVARIAEQVE PRINCI-  
PE, non augusti tantum Nominis sui, sed et imperii, aeter-  
nitatem, seruare uelit, aeternamque ciuium salutem es-  
se iubeat.

Quae laetitia populi, quae alacritas est, cum uo-  
ta nuptialia, pro felici nuptiarum regalium successu su-  
scipienda sunt? Etenim amabile est Nomen FRIDE-  
RICI

**RICI CHRISTIANI.** Dignitas oris, uultus ad augendam maiestatem compositus, tales ostentant Principem, qualem omnes cupiunt, sibique summis a Summo Numine precibus optant. Mirantur admitti, ut augusta uenerentur ora, suavitatem eius iucunditatemque; estque Saxoniae totius ocellus, in ore, oculis, animis, ciuium exterorumque. At uero **TANTIS PARENTIBVS** editus, **FRIDERICVS CHRISTIANVS**, domesticisque ad imitandum exemplis incitatus, non potuit non omnia summa, uirtute duce, consequi. Cumque, pro diuina aeternae mentis suae intelligentia, ipse sentiat, literas uirtutum omnium esse fundamenta, eas a tenera aetate, eo ardore animi, coluit, quo maiore ne quidem illi possent, qui institutis praeceptisque humanum erudire genus desiderant.

Quam ob rem, quoniam ab ultima temporum memoria, doctrinarum in Italia studia floruerunt, beatissimaque illa terra, hodie quoque, artium disciplinarumque plena, fere sola ueteris aeui splendorem seruat ac magnificentiam, dici non potest, quam flagrauerit eius uisenda de fiderio **FRIDERICVS CHRISTIANVS**, et literarum, et uenerandae antiquitatis, dulcedine captus. Hanc igitur adiit, Circaeumque montem, uetus fabulis notum, Appiae viae stupendas reliquias, Falerni beatos colles, uidit et admiratus est. Patuit deinde Neapolis eius conspectui, quam urbem, et natura, et situ, et descriptione aedificiorum, et pulchritudine, nobilem, eam tamen ob caussam, in primis amauit, charissimamque habuit, quod **CAROLI MAGNI REGIS**, et **MARIAE**

C

AMA-

**AMALIAE, SERENISSIMAE REGINAE, CONIVNCTIS-**  
**SIMAEQVE SORORIS**, praesentia illustratur. Ibi uero  
**FRIDERICVS CHRISTIANVS**, literatissimus  
Princeps, non tam aulae splendidissimae delectamentis  
frui, quam antiquorum aedificiorum, epitaphiorum,  
statuarum, cipporum, columnarum, ararum, marmo-  
rum, artificiois sculpturis pretiosorum, inspectione,  
oculos diuinumque animum discipit pascere. Capre-  
as quoque, Tiberii delicias, castri Lucullani ruinas, Pau-  
filypum, magni Caesaris uillam, Vesuui montis ignes,  
Puteolanum spiraculum, Vulcani ollam, antrum Sibyl-  
iae, superbisque Baias, contemplatur. Romam inuisit,  
murus, ciuibus, ambitu, portis, foris, theatris, delubris,  
arcibus, obeliscis, pontibus, templis, bibliothecis, et  
mundi miraculo, Diui Petri aede, per uniuersum or-  
bem, celeberrimam. Quanto uero ibidem plausu a ci-  
uibus, et honore a Summo Pontifice, ac Patribus Pur-  
puratis, exceptus sit **FRIDERICVS CHRISTIA-  
NVS**, ex eo colligere possumus, quod omnes censue-  
rint, urbem ingressum esse HERCVLEM MVSAGETEM,  
ducem scilicet atque comitem Musarum?

Habet enim **FRIDERICVS CHRISTIANVS**  
bonas artes in complexu, in oculis, auribus; EIVSQVE  
auspiciis studia spiritum sanguinemque uidentur capere.  
Sciunt dicendi magistri, sapientiaeque doctores, quem  
honorem, quam dignitatem, iis tribuat? Vidimus **PRIN-  
CIPEM**, tanquam Apollinem, in solio, inter Musarum  
cultores, sedentem. Quantus tum hominum accursus,  
ut oculos insolito possent explere spectaculo? Orna-  
runt

runt ueteres Ptolemaeum Philadelphum, Aegypti clarissimum Regem, maximis laudibus, quod Alexandriae, Pleiades, septem uiros scilicet, doctrina optimarumque artium studiis eruditos, aluerit, quorum consiliis, bonae literae, quae, priorum temporum iniuria, in exilium quasi actae fuerant, patriam receperint. Nonne igitur in coelum PRINCIPEM NOSTRVM, nos extollamus, qui non septem, sed innumeros in comitatu suo habet, abundantia doctrina praeditos? Id uero uidetur esse admiratione dignissimum, estque tanto laudabilius, quod, cum IPSE literatus sit, quos circa se habet, cunctos, SVI quoque similes efficiat. Proinde, cum iustis de cauissis, uictor quondam populus, OPTIMI cognomen, Principibus tribuerit, FRIDERICVM CHRISTIANVM nos iure SAPIENTEM appellamus.

Accipit autem FRIDERICVS CHRISTIANVS, munere Omnipotentis Dei, regalis tori sociam, MARIAM ANTONIAM WALPVRGIN, Maximorum Caesarum Filiam Neptemque, in qua, licet omnia summa sint, in primis tamen illud suspiciendum esse, putamus, quod DIVINA PRINCEPS, cum natalium spendor, summam coniunxerit humanitatem, atque ab ineunte aetate, admirabili arserit studio perpoliendi sanctissimam animam plurimis, nec iis vulgaribus, literis, sed interioribus quibusdam ac reconditis. Ita enim iudicat MARIA ANTONIA, ueram Principis gloriam, nullo monumentorum publicorum genere, quae et oblio uiscurare et posteritas negligere facile possit, sed sola sapientia et humanitate, ipsa uetusstate efflorescentibus,

bus, aeternum conseruari posse. Quo magis nos ueneramur Immortalis Dei beneficium, qui tanta beatuit felicitate literatissimum PRINCIPLEM nostrum, ut amore sacro dulcissimoque Coniugem quoque, doctrina exornatissimam complecti possit. Quis enim nostrum non animaduertit, Saxonicas Musas sic in magnam, uerissimamque, spem adduci, haec FRIDERICI et MARIAE uincula connubialia, maximo sibi emolumento futura? Profici-scere igitur, Beatissime FRIDERICE CHRISTIANE, atque ad domum duc DOMINAM, TVI simillimam, nouique Coniugis cupidam. Nos sucllamamus: FELICITER! uotumque concipimus: CONCORDES AEVVM DVCITE, SINT NATI VOBIS NEPOTESQUE!

Tametsi uero MAXIMILIANVS IOSEPHVS, ELECTOR, hoc foedere nuptiali faustissimo, DOMVI REGIAE, affinitatis uinculis coniunctus sit, iunctior tamen esse IPSE expetit, et, ut FRIDERICVM AVGVSTVM, quem tantopere diligit, Parentis quoque loco possit colere, MARIAM ANNAM SOPHIAM, REGIAM PRINCIPEM, thalami exoptat sociam, ac casto legitimoque matrimonii iure sibi deuinct.

Quis uerbis exprimat hanc OPTIMI REGIS felicitatem? Vno enim HIC anno efficit, ut Franco-Gallia, Bauariaque, Saxoniae fiant aeterna pactione necessariae. HIC gaudet, uno anno, perpetuam populi sui salutem, imperique aeternitatem, sapienter stabilitam esse. Nos uero gaudio quoque summo afficimur, quod MARIAM ANNAM SOPHIAM, cuius sunt tantae ingenii animique dotes, TANTO PRINCIPI in matri-

matrimonium collocari uideamus, cui ad augendum fastigium nihil supereft, quam ut sui similes orbi donet, aeternumque in gloriofa posteritate uiuat. Est enim **HIC ILLE MAXIMILIANVS IOSEPHVS**, quem, ad uadum Francorum, in regali palatio, de mundi machina, subtiliter ac copiose disputantem, audiuer Germaniae Proceres, et admirati sunt. Est **HIC SERVATOR ET RESTITUTOR BAVARIAE**, ob collata in prouincias ornamenta et beneficia. Cum enim esset ad publicae salutis gubernacula admotus, mox in finum **EIVS** concusa confugit res publica, cui **IS**, magna prudentia, opem solatiumque tulit, et hostilem terrorem, non armorum, sed togae, ostentatione repressit. Posteaquam uero Ianum clusit, rem publicam legibus firmat, eaque populum beat tranquillitate, ut Saturnia rediisse regna, sibi persuadeat. Eam ob cauſam **IPSV M** sui merito diuinis colunt honoribus; hisque dignissimum esse **OPTIMUM PRINCIPEM**, omnes consentiunt, qui publicam iustitiae scholam, ad quam, cognoscendarum legum caufa, Bauara iuuentus adiret, **EIVS** nutu, pristino splendori restitutam, animaduertunt.

Hunc igitur, tot in publicam rem, cunctamque Germaniam, meritis inclutum Principem, Coniugem exosculabitur **MARIA ANNA SOPHIA**, Princeps tam felix, quam est formosissima. Ea enim apparet in uultu **EIVS** diuino uenustas maiestasque, ut, qui **MARIAM ANNAM SOPHIAM** aspiciunt, reantur, se Deam intueri. Hanc profecto Ister uenerabitur, adorabunt Bauari, atque prosperam genti nuptialem diem, sacris colent anniuersariis.

D

REGI-

REGIAM PRINCIPEM, ad Bauaros proficiscentem,  
nos ominibus optimis prosequimur, et pro felicissi-  
mo EIVS aduentu pia concipimus uota; Saxoniae, Baua-  
riaeque, CONCORDIAM AETERNAM, SECVRITATEM, TRAN-  
QVILLITATEM, FELICIA TEMPORA, GAVDIVM, GLORIAMQVE,  
augurantes. AVGVSTO REGI autem, summo fe-  
licitatis publicae Auctori, publice nos, in loco sacro, gra-  
tias agemus, et pro EIVS, pro REGINAE, ac NOSTRO-  
RVM PRINCIPVM, salute, imperiique aeternitate, eo ipso  
die, qui Saxoniae et Bauariae, propter regales nuptias,  
laetus festusque est, Omnipotenti Deo, Statori imperii,  
supplices offeremus preces.

Eft ille dies, decimus tertius mensis Iunii, laetitia Sa-  
xones Bauarosque maxima afficiens, quo, Io. Guilielmus,  
Nobilis de Berger, Sac. Caef. Mai. atque in Aula Poten-  
tiss. Polon. Regis, ac Pr. Elect. Saxoniae, Consiliarius,  
Historiographus Regius, Eloquentiae Professor Publicus,  
Alumnorum Regio -Electoralium Ephorus, Ordinis  
sui, ac totius Academiae, Senior, Collega noster amicis-  
simus, in arcis templo recitata oratione, REGI CLE-  
MENTISSIMO, REGIAEQVE DOMVI, Academiae no-  
mine, officium faciet. Perorabit is hora undecima ma-  
tutina. Adeste igitur Patres Amplissimi, omnium ordi-  
num Hospires, Ciues Academicci, bonarumque litera-  
rum cultores, atque, ad domum Kraufianam, stato adite  
tempore, ut oratorem nostrum, datis aeris campani signis,  
in locum possimus sacrum comitari. Id uero obsequii  
religionem, nostramque pietatem, postulare, uobis  
perspectum satis est. P. P. A. O. R.

VITEMPERGAE

PRELO EPHRAIM GOTTLÖB EICHESFELDI  
ACADEMIAE A TYPIS.

Vd  
3322

A.D. 1473  
RECTOR  
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS  
**ANDREAS  
FLORENS  
RIVINVS D**

POTENTISSIMI REGIS POLONIARVM  
ET PRINC<sup>E</sup> ELECT<sup>E</sup> SAX<sup>E</sup> CONSIL<sup>E</sup> AVLICVS DIG  
INFORT<sup>E</sup> ET NOVI PROFESS<sup>E</sup> PVBL<sup>E</sup> ORD  
CVR<sup>E</sup> PROV<sup>E</sup> ET SCAB<sup>E</sup> ITEMQVE ORD  
IVRID<sup>E</sup> VITEMB<sup>E</sup> ASSESSOR

CIVIBVS ACADEMICIS

S. P. D.



Inches	1	2	3	4	5	6	7	8
Centimetres	1	2	3	4	5	6	7	8
<b>Farbkarte #13</b>								
Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black